





FRANCISCI CAROLI CONRADI,
PHIL. ET I. V. D.
O R A T I O 1728 46
DE
IVRISPRVDENTIA REGVLARI
ROMANORVM,

ET DE
VETERVM IVRISCONSVLTORVM STVDIIS
CIRCA REGVLAS IVRIS,
DICTA SOLENNITER
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
A. D. V. ID. AVG. A. CIOIOCCXXVIII.

Q V V M
PROFESSIONEM PVBLICAM
DE VERBORVM SIGNIFICATIONE ET REGVLIS IVRIS
AVSPICARETVR.



EDITIO SECVND A.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.
MDCCLXII.

50

FRANCISCI CAROLI CONRADII
ORATIO
IURISPRUDENTIA REGULARI
ROMANA Q. V. M.

STVDII
FRANCISCVS DVARENVS

in epistola de ratione docendi discendique Iuris,


Operum pag. 1104.

*Ex hoc studio praeceptionum quarundam et theorema-
tum vniuersalium, quibus ad iudicandum ex bono et
aequo de singulis negotiis praeparemur et informemur, co-
gnitio speranda est. Nam singularia, quia infinita sunt,
sub nullam artem, aut praeceptionem, cadunt.*



FRANCISCI CAROLI CONRADI
 DE
 IVRISPRVDENTIA REGVLARI ROMANORVM
 ET DE
 VETERVM IVRISCONSVLTORVM STVDIIS
 CIRCA REGVLAS IVRIS
 ORATIO AVSPICALIS.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
 PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
 ADSRIPTIQVE,
 VIRI MAGNIFICI, ILLVSTRES, GENEROSISSIMI,
 EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, SVMME
 REVERENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERTISSIMI,
 CLARISSIMIQVE,
 AVDITORES OMNIVM ORDINVM ATQVE
 DIGNITATVM HONORATISSIMI,
 ET VOS, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI
 ACADEMIAE CIVES, IN PATRIAE PARENTVMQVE
 SPEM ET EXPECTATIONEM GENITI,
 FLORENTISSIMI COMMILITONES.

 Quod bene feliciterque vertat, quodque perillustri
 huic ad Albim Academiae, et mihi, faustum, for-
 tunatum ac salutare esse iubeat DEVS T. O. M.
 Iuris publice docendi prouinciam hodierna die
 capeſſo ac fuscipio, auctoritate nutuque REGIS AC DO-
 MINI MEI LONGE CLEMENTISSIMI ad Vos
 Muſasque Veſtras nuper euocatus. AVE itaque, ALMA
 LEVCOREA, Virtutis et Honoris Mater: ſalue, puriorum
 ſacro-

facrorum sancta Parens, iterumque mihi salue, Legum et Iu-
 stitiae incluta Nutrix. Auete, PATRES CONSCRIPTI:
 saluete, FLORENTISSIMI COMMILITONES, in pri-
 mis qui Iurisprudentiae studiis vosmet deuouistis. Auete
 omnes, quotquot mihi verba facturo adeste uoluistis, AVDI-
 TORES ORNATISSIMI, et saluete plurimum. Neque
 enim melius dicendi initium facturus, non alio noui muneris
 auspiciu laetiori omine aggressurus mihi uideor, quam reli-
 giosa ista, et pia, et obseruanti Vestrum consalutatione. Non
 alia mihi prior, nulla potior iam cura uersat pectus, quam
 qua ratione demereri mihi que conciliare ualeam Vestrum fa-
 uorem, Vestramque beneuolentiam, quibus mihi, quemad-
 modum ad omnem muneris, quod in eo, functionem et pro-
 gressum, ita cum maxime in ipsis primordiis, summe opus
 esse, intelligo. Quamobrem agite, AVDITORES, idque
 primum Vestrae in me humanitatis, sed insigne, monumen-
 tum extare finite, hoc propensae in me voluntatis primum,
 ad bene sperandum, mihi signum edite, ut mentes mihi atque
 aures placidas praebatis, sine omni uerborum pompa ullis-
 que eloquentiae luminibus dicturo. Hoc Vos magnopere
 et obnixè rogans, uereor diutius morari Vestram, quam mihi
 iam annuere uideamini, beneuolentiam, Vestramque de argu-
 mento, quod selegerim, expectationem: quod quemadmo-
 dum longius non arcessendum esse duxi, quum ipsa, quam
 ordior, Iuris professio publica id suppeditaret: ita me tanto
 facilius exordio sermonis uerbosiore, quo mihi ad dicendum
 uiam praepararem, subleuari sentio. Nemo de arte sua lo-
 quentem dedignatur artificem: nemo damnat agricolam, rus
 et aratra dicentem: nemo militem aegre fert, castra et prae-
 lia enumerantem: nemo nauitae succenset, de prora puppi-
 que fermocinanti: nemo Patronum improbat, lites clientum
 forique negotia referentem: nemo Medicum, herbas et ope-
 balsama commemorantem: Vos quoque mihi, de Iurispruden-
 tia

ria Romana, antiquitus in regulas redacta, et de veterum Iurisconsultorum circa regulas Iuris civilis summo studio, pro splendida hac et frequentissima concione peroratur, vel propter ipsum regulas Iuris interpretandi officium, humeris meis impositum, haud difficulter proclive iudicium et benignam auscultationem commodabit.

Iam deserat Populus Quirini iure incerto et consuetudine magis, quam per latam legem iusque constitutum agere, quod prope sexaginta annis passus fuerat^{a)}: iamque scriptae ex inclutis Solonis legibus et aliarum Graeciae ciuitatum institutis, moribus iuribusque, et comitiis maximis perlatae leges Decemuirales, quibus Tabulis duodecim est nomen, incipae et publico in aere praefixae, medio foro legebantur^{b)}: iam ab incunabulis pueri ediscebant eas et memoriae mandabant, tanquam carmen necessarium^{c)}: quum, his legibus latis, euenit naturaliter, vt Prudentum interpretatio desideraretur, ac necessaria esset disputatio fori^{d)}. Quod de Solone scripsit PLVTARCHVS^{e)}, eum simpliciter nimis ac generatim concepisse leges, et sic per multas in sensu ambages iudicum auctoritatem stabiluisse, ad quos, veluti legum dominos, omnes paene controuersiae deferendae essent: id Romae Decemuii efficere cogitarunt, qui, dum breui et concinna legum scriptura placerent ciuibus, ad se interpretationem pertinere, et pleraque in iuris administratione sibi referuare cupiebant; modo diuturnior fuisset ipsorum Magistratus, nec immane ab libidine et crudelitate nefas eundem exitum Decemuirali imperio, quem olim manus Regiae, mox attulisset. Abrogatis Decemuiris, pristina Reipublicae forma instaurata, aequalitate ciuium per Leges Valerias Horatias, maximum libertatis praesidium, restituta et in posterum quoque munita,

A 3

prin-

a) L. 2. §. 3. D. de Orig. Iur.

c) CIC. de Legib. II. cap. 4. et 23.

b) LIVIUS, Lib. III. cap. 31. et

d) L. 2. §. 5. D. de Or. Iur.

cap. 58.

e) In Solone, p. 88.

principes tamen ciuitatis semper in possessione ac velut in patrimonio suo retinuerunt cognitionem iuris atque interpretationem^{f)}: neque inde a latis tabularum legibus quisquam interpretis sustinuit munus, nemo sensum legum vsunque demonstrauit, qui non antea vel iudex, vel magistratus, aut eximia dignitate praeditus esset. *Ego memini, summos fuisse in ciuitate nostra viros, qui ius interpretari populo et respondere soliti sunt*: inquit TVLLIVS^{g)}. Quod enim idem legum interpretes iudices aliquando dicit^{h)}: id cogitare nos iubet, potissimam iuris cognitionem in foro quaerendam, et e tabellis iudicum plenissimam Decemuiralium tabularum intelligentiam hauriri debuisse: neque rationem, leges, vel in se perspicuas fatis verbisque minime perpléxas, accommodandi ad facta, promptam alii magis fuisse, quam qui forensi luce inclaruisset. Illud vero tanto magis conueniebat veteri illi, militari adhuc, neque literis excultae, Reipublicae: quum fontes quidem et semina omnis publici priuatiue iuris de lare Solonis, Lyeurgi et praestantissimorum quorumuis Sapientum accepissent Romani; nullam autem artem iuris, nullam philosophiae disciplinam haberent, neque vsum legum et rationem aliter, quam a forensi experientia nanciscerentur. Tales erant veteres illi post leges XII. tabularum Iurisprudentes, quorum in familiis quasi erat ars et scientia interpretandi easdem, ac de iure consulentibus responsa edendi; quorum domus erant totius Oracula ciuitatisⁱ⁾: ad quorum ianuas et vestibula maxima quotidie ciuium et clientum frequentia confluebat eorum, qui iuris legumque vim edoceri, causaeque naturam intelligere, et quibus sibi remediis vtendum, quae vitanda, quae agenda forent, nosse cupiebant. Ad hos deducebantur nobiles et Patritii iuuenes, patris iuris
notitia

f) CIC. de Offic. II. cap. 19.

g) CIC. de Legib. I. cap. 4.

h) Pro Cluentio, cap. 53.

i) CIC. de Orat. I. cap. 45.

notitia imbuendi^k), non aliud huius studii siue praesidium, siue initium secum afferentes, praeterquam tabularum illud, quod edidicissent, carmen. Iam vero, in Prudentum, quos sectabantur, atriis, diligenter et attente iura respondentibus auscultabant: neque enim illi ad docendum profitendumue ius ciuile aliquod temporis seposuerunt^l), vna potius eademque opera et clientibus, et legum cupidis iuuenibus prodesse satis habentes. Nulla tum praecepta iuris, nulla disciplina, nulli tum canones generales breui complexu edebantur iuris studiosis: quibus tunc potius receptae ex interpretatione sententiae, vsuque communi probatae, tantum memoria defigendae, et infinita factorum innumerabilium, hominum atque decisionum cognitio multo auditionis, longo annorum taedio comparanda erat.

Cogitate ipsi, Vos, POLITISSIMI COMMILITONES, quam difficilis, quam molesta, quam misera atque illiberalis haec fuerit ad iuris scientiam perueniendi via, qua proficere aliter non licebat, quam, vt singula negotia, singulas actuum formas, in quibus rerum natura et tritura fori, ceu Africa quaedam vel India, noui semper aliquid produceret, et, quid de singulis quotidie responsum esset, memoria comprehenderent, ei profecto non absimiles, quem LVCIANVS^m) refert, in maris littore sedentem, conatum singulas vndas pernumerare, donec vndas vndis trudentibus obrueretur, animi anxius, quod eas numero amplecti non posset. Adeo veteres illi Iurisperiti non nisi in facto per mille diuersas rerum ac negotiorum species iura et interpretationem legum proponebant; adeo nouas quotidie ac diuersas factorum casuumque formas definiebant; adeo immensam illam horridamque quaestionum ac decisionum siluam late proferebant;

k) CIC. in Lael. cap. I. et de offic. II. cap. 13.

l) L. 2. §. 35. D. de Or. iur.

m) La Hermetimo.

bant; adeo, quemadmodum CICERO ait ⁿ), *quod positum erat in una conditione, id in infinita dispersiebantur.*

Nemo Vestrum ignorat, interpretationem Prudentum minime in legum explicatione, iurisque applicatione ad facta, substituisse; verum plura addidisse legibus, quae iisdem haud continebantur, eandem tamen haberent rationem et aequitatem, quum haec in paribus causis paria desideraret iura ^o): atque in tantum fines interpretationis supergressam esse Prudentum auctoritatem, ut legislationis speciem indueret. Ab hac Iurisconsultorum auctoritate, quae semel populo placuerat, accedente longo usu fori, consuetudine et more ciuitatis, tanquam tacito suffragio, venit illud a tabulis legibusque distinctum, quodque proprio nomine appellatur, *IUS CIVILE* ^p); illud ius, uti passim dicitur in libris Iuris nostri, *consensu receptum* ^q), *per manus traditum* ^r), *commentitium* ^s), hoc est, ex commentatione Prudentum ortum; illa Iuris Ciuilis species, quae ab Imperatore Iustiniano *media* vocatur *Iurisprudentia*, quae erat quidem *lege XII. tabularum iunior*, *Imperiali autem dispositione anterior* ^t). Plura ex hoc fonte Iuris capita et positiones prodierunt; inter quae eminent fere usufructus rerum incorporalium ^u), acquisitio per adrogationem ^x), legitima patronorum tutela ^y), substitutio pupillarum ^z), et, quae *IAC. CUIACIO* ^a) ex *Lege Glicia* esse videbatur, de inofficioso testamento querela. Ista aliaque longae plurima noscenda et addiscenda apud Iurisconsultos erant horum studiosis, non certe compendiosa institutione ac praeceptis,

n) *De Legib. II. cap. 19.*

o) *CIC. Topicor. cap. 4.*

p) *L. 2. §. 5. D. de Or. Iur.*

q) *Pr. I. de acquisit. per adrogat.*

r) *L. 10. D. de iur. codicill.*

s) *L. 20. D. de poen.*

t) *§. 3. l. de legit. agnat. success.*

u) *CIC. pro Caecin. cap. 20.*

x) *Pr. I. de acquisit. per adrogat.*

y) *Tit. I. de legit. Patron. tutel.*

z) *P. I. de pupill. substit.*

a) *Lib. II. Obseruat. cap. 21. et*

Lib. XVII. cap. 17. Vid. V. A. 10.

GOTTL. HEINECCIUS Antiquit. Iur.

edit. sec. Lib. II. t. 17. §. 5.

ceptis, verum vsu multorumque annorum opera, quam consulentibus et iura reddentibus infumerent, eorumque foliis et lateribus adhaerent. Quamuis enim ex illa forensi disputatione atque interpretatione vere ducant originem regulae Iuris, quibus, quae legibus XII. tabularum vel adiecissent, vel ademissent, vel quibus earum vsum declarassent Prudentum sententiae, postea fuerunt inclusa atque in breue coacta: non tamen hanc operam, quae summae difficultatis et artis erat, statim nauasse credendi sunt antiquiores: qui potius materiam regularum suis decisionibus ac responsis inuenerunt, quam istas breues sententiarum in foro receptarum complexiones. Quamuis etiam vetustissima sit, qua nullius celebrior extat memoria in Iure Ciuili, regula Catoniana^{b)}, quae M. Porcio Catoni, M. Catonis Censorii filio, auctori suo, immaturae mortis fatum immortalis nominis fama penfauit^{c)}; atque iam illa aetate vsitatum regularum artificium, sensimque plures regulae, Catonianae similes, inuentae concinnataeque esse videantur: parum tamen adhuc subleuarunt eadem studia Iuris Ciuilis, quum vagae, nulloque descriptae volumine, circumferrentur in foro, iactarentur in domibus Iurisconsultorum.

Enimuero, postquam ille, quem Ennius celebrauit^{d)},

Egregie cordatus homo, Catus Aelius Sextus,

in Triperitis suis, veluti cunabula iuris, et praeter legem XII. tabularum, huius interpretationem proposuerat^{e)}; ac postquam triumviri isti, Publ. Mucius, et Brutus, et Manilius, ille decem, iste septem, hic tribus libellis editis fundere coeperant Ius Ciuile^{f)}: primus rei, cuius nemo antea, periculum fecit Q. Mucius Scaeuola, Publ. fil. Pontif. Max. generatim in libros decem,

et

b) L. 41. §. 2. D. de legat. 1. L. 13. pr. D. de opt. leg. L. 80. D. de cond. et dem. Tit. D. de reg. Caton.

c) L. 2. §. 38. D. de Or. Iur. LIV. epir. Libr. XLIIIX.

d) CIC. de Orat. I. cap. 45.

e) L. 2. §. 38. D. de Or. Iur.

f) Ead. L. 2. §. 39. et §. 41.

B

et octo redigendo, quae priorum libellis dispersa, nec plene tradita fuissent: sed, quod mihi praecipue commemorandum est, libro singulari, quem inscripsit OPON, id est, *Sententiarum* atque *Definitionum*, primus omnium regulas ex Iure in foro receptas collegit: quo ex antiquissimo corpore quatuor hodiernum regulae^{g)} in Digestis extant. Quare is merito celebratur apud POMPONIVM, tanquam qui primus constituerit Ius Civile^{h)}; mihique merito laudandus est, tanquam qui prius fundavit Iurisprudentiam regularem, et qui primus exemplo suo praevit Iurisconsultis, atque intentissimum illud studium, illam in regulis Iuris colligendis, digerendis, tradendis, illustrandis summam diligentiam excitavit. Hae Mucio vere debentur laudes: quamvis plenior Seruorum Sulpicium, Iurisconsultorum principem, manserit gloria, quocum, propter admirabilem et incredibilem eius ac prope diuinam in legibus interpretandis scientiam, omnes ex omni aetate, qui in Romana ciuitate intelligentiam iuris habuissent, si vnum in locum conferrentur, non esse comparandos, TVLLIVS iudicabatⁱ⁾: cuius alio loco instituta inter Scaeuolam et Seruivm elegantissima comparatio ipsis Oratoris verbis tota hic repetenda est. Sic enim, inquit^{k)}, existimo, Iuris Ciuilis magnum usum et apud Scaeuolam, et apud multos fuisse, artem in hoc vno: quod nunquam effecisset ipsius Iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, dein distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae, quibus propositis, essent, quae non essent, consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur: sed adiunxit etiam et literarum scientiam, et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius,

g) L. 64. D. de acqu. rer. dom. L. 8. D. de aqu. quot. et aest. L. 241. D. de Verb. Sign. L. 73. D. de Reg. Iur.

h) L. 2. §. 41. D. de Or. Iur.

i) Philipp. IX. cap. 5.

k) in Brut. cap. 41.

eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspicitur. Iam vero felicius, et in plena literarum luce, Romae ista aetate agebatur, inde ab auspiciatissimo illo saeculo, quo sapientiae studia et meliorum artium disciplinae circa tempus belli Punici secundi, e Graecia Romam aduentarant. Iam postquam illi e porticu Philosophi, et primus inter hos Panaetius, scholas in Vrbe publicas aperuerant, hosque audiuerant Laelii, Scipiones, Rutilii, Tuberones ¹⁾), alique principes iuuentutis; tantam Stoica Philosophia ceperat auctoritatem, adeoque primas obtinuerat apud Romanos, ut non alius sectae doctrina imbuerentur Iuris studiosi, non aliam Iurisprudentes in respondendo, interpretando, disputando, mox etiam in docendo, profiterentur, neque aliam magis posteris temporibus in placitis, definitionibus, sententiis ac libris suis praeculerint. Summus vero ille Iuris Antistes, et vere Iurisprudentiae pater, Seruius, postquam totum se Iuris patrii studiis consecrauerat, tanta Stoicae doctrinae cupiditate, tanto amore totus ardebat, ut, instituta celebri illa peregrinatione, Rhodum accederet, ibique ad Posidonium, Panaetii discipulum, se vna cum Cicerone, Caesare, Bruto, Torquato aliisque applicaret ^{m)}). Hic itaque primus Ius Ciuile in formam artis et scientiam disciplinabilem redegit: hic infinitas Iuris quaestiones in pauca genera, haec in membra quaedam digessit, omniaque cum definitionibus accurate complexus est, tum certis regulis inclusit, et, quid quaque de re iuris esset, declarauit, ut quaecunq; noua causa consultatione obueniret, a quo capite eius ius repetendum foret, statim appareret. Meminimus, immortale hoc eius beneficium, Iurisprudentiae praestitum, ab Oratore ad illam artem artium maximam, Dialecticam scilicet, referri: haec quum ad Ius Ciuile attulisset, ac praeterea in Stoica schola ⁿ⁾) breuium,

B 2

quae

1) CIC. de Offic. I. cap. 26. et in Brut. cap. 30. GELL. Lib. I. Noct. Att. cap. 22. L. 2. §. 40. D. de Or. Iur. V. C. EV. OTTO, orat. de Stoica Veterum Iurisconf. Philosophia.

m) CIC. in Bruto. cap. 47.

n) LAERT. in Zenon. ARRIAN. Lib. I. cap. 20. in Epictet.

quae ad manus haberentur, praeceptorum didicisset usum, quin ei plane aduenisset, ipse tandem, felicior adhuc Scaeuola, regularum artifex, ipse verus auctor exitit Iurisprudentiae istius, quam supra vocavi, regularis.

Esse enim commune illud et praecipuum veterum Iurisconsultorum, tradendi regulas, quae Ius breuiter enarrarent, studium, haud secus, ac diligentiam circa proprietatem verborum, ab imitatione Stoicorum profectum, pridem admonuit aeternum Galliae suae decus, EMVNDVS MERILLIVS, praestantissimis suis Observationum libris °): et satis superque idem loquuntur, quae nobis reliqua sunt e Iuris Auctorum scriptis, eos se omnino praestitisse in tradendo Iure Ciuili tales, Chrysippum qualem SENECA P) commemorat. *Chrysippus, inquit, penes quem subtile illud acumen est, et in imam penetrans veritatem, qui rei agenda causa loquitur, et verbis non ultra, quam satis est ad intellectum, utitur.* Neque tamen putabit quisquam, Veteres coeca Stoicorum aemulatione hoc studium sectatos, ceu Philosophorum imitatores, seruum pecus, dum illas Iuris Ciuilis, in foro recepti, sed scripto nondum comprehensi, regulas et positiones summa breuitate concinnare laborarunt. Ipsa breuitatis quaedam commendatio naturalis, et quae praecipua est, omnium consensu, virtus in praeceptis, ipsa indoles axiomatum, aphorismorum et regularum, hunc morem iniungebant. Definitio debet esse *rei propositae dilucida et breuiter comprehensa verbis enuntiatio*, auctore QVINTILIANO q): breuitatem inter tres narrationis dotes primo loco ponit Auctor Rhetoricorum ad Herennium r), vt quae *paucis comprehensa multarum habeat rerum expeditionem* s): breuitatem in aphorismis laudat GALENVS t): neque vero decebat aliter praecepta illa generalia, commu-

o) Lib. I. cap. 10. et Lib. V. cap. 34.

p) De benefic. I. cap. 3.

q) Lib. VII. cap. 3.

r) Lib. I. cap. 9.

s) Lib. IV. cap. 54.

t) In Aphorism. Hippocrat. Comm. I. cap. 4.

communes notiones, definitiones, narrationes, aphorismos et regulas Iuris, illa ad rem quamque Iurisque, in foro veluti per infinita vagantis, quaestionem resoluendam, decidendam apta subsidia, informari, quibus et iudicium aequi bonique notitia imbuere ac dirigere, et memoriam studiosorum adminiculari volebant Iurisprudentes. Magnae vero et graues erant illis causae, quare concipiendis tradendisque regulis tanta cura, sollicitudine, tanta cum arte sese omnemque operam demum adiungerent: maxima nimirum difficultas ac paene desperatio, legum interpretationem et mediam illam Iurisprudentiam, quae in dies immensa caperet augmenta, ex sola factorum casuumque decisione addiscendi: maximum deinde regularum compendium, in quaestionibus Iuris promte resoluendis, in iudicando ac respondendo, vtne semper ad primam legum interpretationem, ac Iuris sine scripto venientis occasionem et originem in singulis recurrendum foret: denique illud earundem commodum, quod et respondentibus, et iudicantibus, et agentibus, praeter memoriam rei breuem, legitima quasi verba et formulas ministrarent.

Habent quaeuis meliores artes ac disciplinae suas positiones, quibus earum principia continentur, sua, quibus, quid vnaquaque de re ad disciplinam spectante sentiendum sit, elici ac secundum ea diiudicari debet, axiomata: habent suos aphorismos, quibus artis scientia per enuntiationes breues et sententias enarratur. Quapropter nec scientiae Iuris Ciuilib, quod vtique debet esse finitum ^{u)}, nostraeque arti aequi et boni inuidendae sunt regulae suae, quae, desiniente PLAVTIO ^{x)}, rem, quaeque est, breuiter enarrant, et, quod PAVLVVS adiicit, breuem rerum narrationem, quidque in singulis iuris sit, tradunt: quas propterea causae coniectioni assimilabat SABINVS; quod, quemadmodum haec est causae et quaestionis in breue et quasi compendium tractio ^{y)}, ita illae cuiusque rei, litis, iuris, constitutionis, deci-

B 3

fionis

u) L. 2. D. de iur. et facti ignor.

x) L. 1. D. de Reg. Iur.

y) ASCON. in CIC. pag. 76.

sionis breuem summamque complexionem absoluunt. Neque mirum sit, crescente iam in dies atque sublimè ad fastigium exurgente, quam Mucii et Seruius fundauerant, Iurisprudentia, profecisse quoque simul regularum studium, vt quibus augusta haec aedes et arx Iustitiae, veluti basibus et columnis suis, sustineretur; iamque non acceptas solum a prioribus regulas continuo transmissas ad successores, sed etiam nouas inuentas subinde atque concinnatas esse a Iurisconsultis. Equidem vidimus regularem et Iurisprudentiae regularis in illa media Iurisprudentia natales et in Prudentum interpretatione atque disputatione forensi: nec istis, quae leges XII. tabularum et Principum legislationem intercedebant, temporibus fere aliud Ius complectebantur regulae Iurisconsultorum, quam Ius in supplementum XII. tabularum a Prudentibus tacito populi suffragio et vsu introductum, Praetorisque Edictis magis magisque confirmatum: quid? quod idem ista aetate regularum apud Romanos vsus fuisse videtur, qualis quondam apud vetustissimos maiores nostros carminum, quibus, vnico memoriae genere ac subsidio ^{z)}, vt rerum gestarum summas, sic mores patrios iuraque, quae sine scripto inter ipsos vsu obtinebant, custodiuerunt: vnde nobis paroemiae et sententiae Iuris, numero haud exiguae, ad hunc diem supersunt. Verum enimvero praeter hasce regulas, ex Iure in forum iam olim recepto collectas, manentes, per manusque traditas, coepit oriri et alterum genus regularum, quod maxime pertinet ad Iurisprudentiam iuniorem, earum scilicet, quae cuiuscunque tandem Iuris speciei, Legum, Edictorum ^{a)}, SCtorum ^{b)}, Principalium Constitutionum ^{c)}, breuem summam conficiunt et enarrant: quod, quae restant e libris Regularum, satis euincunt superque: vt frustra sit IAC. RAEVARDVS ^{d)}, elegantis alio-

z) TACIT. de morib. Germ. cap. 2.

a) L. 9. D. de hered. petit.

b) L. 39. D. de iniur. L. 4. §. 1. D. ad Leg. Iul. Mai. L. 14. §. 1. D. ad Leg. Iul. de adult.

c) L. 28. L. 103. D. de reg. Iur.

d) De auctorit. Prudent. cap. 14. et Comment. de diu. reg. Iur. ad L. 1. D. de R. I.

quin ingenii et doctrinae Iurisconsultus, regulas Iuris restrin-
gens ad ea, quae fori disputatione et consensu Iurisprudentum
recepta essent, quotiescunque grauis et perplexa Iuris quaestio
incideret, fori disputationem institutam, ac Iurisconsultos con-
gregatos fuisse, opinatus, quorum publica et communi decisi-
one deinceps regulae Iuris extitissent. Frustra est porro, quod
idem Vir doctissimus in definitione regulae PLAVTIANA ita
supplendum existimauit: *Regula est, quae rem definitam breui-
ter enarrat*: ac similiter definitionem proxime sequentia verba:
non ex regula Ius sumatur, sed ex Iure, quod est, regula fiat &
explicauit subintelligendo: *ex Iure, quod est* definitum. Nemo
etiā, qui hanc regularum indolem, has species nouerit, ut opi-
nor, erit tam suauis, ut regulas somniet ipsum Ius, vel certam at-
que singularem Iuris speciem constituisse, ac fuisse adeo inter
fontes ciuilis prudentiae, e quibus Ius hauriendum esset; quin
ipsae sumerentur atque concinnarentur e vario Iure, quod breui-
ter definirent. Quod enim eadem positiones Iuris generales
et breues, quae et *sententiarum* nomine veniunt, exemplo regu-
lae Catonianae ^{e)}, et quae proprie dicuntur *Regulae Iuris*, ab
Architectis desumpto vocabulo, ut per regulam intelligatur ge-
neralis quaedam norma, ad quam, quid in quaque Iuris quae-
stione ac difficultate proposita rectum, acquum ac verum sit, ex-
ploretur, et sic regulae nomen eadem translatione adhibeatur,
qua vitimur, quum legem *inisti iniustique regulam* vocamus; quod,
inquam, eadem regulae Iuris frequentissime *definitionum* nomi-
ne indicantur apud Iurisconsultos, ac veteres *definiuisse* dicun-
tur ^{f)}, quod est in regulis Iuris: id definitionem Prudentum,
solenniter et auctoritate ipsorum factam, minime significare pu-
tandum est. Quin ea loquendi ratio potius accepta est a meta-
toribus et dimensoribus agrorum, qui decempedis latifundia de-
finiunt: et sic regulae nostrae hac appellatione designantur, tan-
quam sententiae et positiones, quibus latissimos Iurisprudentiae
campos

e) L. 86. D. de cond. et dem.

f) L. 96. D. de solution.

campos ac fines emetiuntur, et, quod per infinita dispersum est, in vnum definitum reuocant Iurisconsulti. Hoc enim intellectu regula Catoniana *definitio* appellatur CELSO ^{g)}, et Mucii sententia, quae refertur in Digestis inter regulas Iuris antiqui, *definitionis* nomine indigetatur ab VLPIANO ^{h)}: sic ipse *regulariter definit*, et Iulianum *regulariter definitentem* citat ⁱ⁾ VLPIANVS: sic et Imperator IVSTINIANVS *veteres regulas et antiquas definitiones* ^{k)} coniunxit; alibi ^{l)}, *regulariter veteribus definita*, dixit regulas Iuris: denique hoc sensu Q. Mucii *liber* OPON et Papiniani *libri duo Definitionum* inscripti fuerunt. Nemini non ex his dilucet, fuisse regulas in subsidium Iuris scientiae ac prudentiae legalis excogitatas, usurpatas; in respondendo, consulendo, decidendo atque iudicando adhibitas; et sic longo, frequenti, perpetuo constantique vsu per manus traditas, magnaue cura cum in foro versantibus, tum Iuri addiscendo operam dantibus inculcatas, temporumque successu et declaratas magis, et magno numero adauctas.

Tanta vero ex hac regularum antiquitate, tanta ex earum cultura vsuque constantissimo, tanta e veterum circa illas studio ac sollicitudine provenit auctoritas et praestantia, vt Iurisconsulti, passim regulas in sententiam suam aduocantes, placitisque suis eas, ceu firmamenta, supponentes, hac re solerent esse contenti: et, quamuis rationes regularum minime contemnerent, attamen regulis, vt erant ab initio prolatae, insistentes, aliquando rationes earundem ignorasse haud erubescerent ^{m)}, fere Grammaticorum more, de quibus DIOMEDES ⁿ⁾: *Auctoritas tantum opinione secundum veterum lectionem recepta, nec ipsorum tamen, si id interrogentur, cur id secuti sint, scientium.* Hinc illud IULIANI ^{o)}: *Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, rationem reddi*

g) L. 1. D. de reg. Caton.

h) L. 73. §. 2. D. de reg. Iur. L. 1.

§. 5. D. quod vi aut clam.

i) L. 9. D. de hered. petit. L. 25. §.

5. D. de vsufr.

k) L. 4. C. de verbor. signif.

l) L. 2. §. 8. C. de vet. Iur. enuel.

m) vid. IAC. CUIAC. Lib. XVII. Observat. cap. 15.

n) Lib. II.

o) L. 20. D. de Legib.

reddi posse: hinc illud eiusdem ^{p)}): *Multa Iure Ciuili contra rationem disputandi recepta esse.* Quod si tamen es, qui fungos, aut stipites propterea fuisse credas veteres, regulis hoc nimium fiduciae, hoc nimium auctoritatis tribuentes: noli praeceps ire iudicio inciuli, priusquam Iuris volumina diligentius excusseris. Haec te admonebunt, utique de rationibus regularum serio cogitasse et inquisuisse Iurisconsultos ^{q)}, tum maxime, quum de aptandis iis ad causarum decisionem essent solliciti ^{r)}, aut, quum ea subnotarent, quod fecerunt diligenter, in quibus regulae Iuris perderent officium suum ^{s)}. Quin prudenter illos affectasse aliquando laudabilem ignorantiam, dixerim, ideoque rationes eorum, quae recepta et per manus tradita fuissent, inquiri noluisse, ne multa ex his, quae certa essent, subuerterentur ^{t)}. Quare vetustiores mediae Iurisprudentiae et Iuris sine scripto venientis regulae proprie sunt, quas illi, ex aequitate petitas, et ex Iure, tacitis populi Romani suffragiis constituto, in generalem sententiam conceptas, ab omnibus probatas, ratas in primis sanctasque habuerunt, quod eas tam aequas iustasque et sapientes, et in publicum utiles esse perspexissent, ut ipsae pro rationibus Iuris merito valerent: vnde est, quod regulam Iuris et Ius regulare ipsam *Iuris rationem* dicere amarunt ^{u)}, et, quae *PAVLVS* locutione utitur ^{x)}, *tenorem rationis*. Atque haec regulis insitens et contenta Iurisprudentia propria maxime facta est Sabinianorum, imitantium principem suum, Ateium Capitonem, qui, ut *POMPONIUS* de ipso testatur ^{y)}, *in his, quae ei tradita fuerant, perseuerabat*: quum e contrario alterius scholae sectatores, ab Antistio Labeone edocti, qui, *ingenii qualitate et doctrinae fidu-*

- cia,
 p) L. 51. §. 2. D. ad Leg. Aquil. 181. testam. L. 11. D. qui testam. fac. L. 9.
 q) L. 10. D. de iur. codicill. D. de iur. et fact. ignor.
 r) L. 17. D. quando dies legator. L. t) L. 21. D. de Legib.
 1. §. 16. D. de acquir. vel am. poss. L. u) L. 14. et 15. D. de Legib. L. 141.
 11. D. de Seruitut. D. de reg. Iur.
 s) L. 11. D. pro emt. L. 95. §. 3. D. x) L. 16. D. de Legib.
 de solution. L. 2. D. de iniust. rupt. irr. y) L. 2. §. 47. D. de Or. Iur.

C

cia, plurima innouare studuerat, regulis antiquis nollent inhaerescere, et ab iisdem saepius facerent discessum ²⁾). Multa hinc et frequens de regularum interpretatione inter utramque scho- lam disputatio, multi dissensus ³⁾): quos tamen et secuti post Edicti perpetui tempora Miscelliones ad mediam sententiam re- ducere laborarunt, non sine ipsa regularum ac definitionum anti- quarum ope ⁴⁾), et quibus demum placandis ita studuit Impera- tor IVSTINIANVS, vt secundum veteres regulas et antiquas definitiones in plerisque vetustatis iura manere vellet incorru- pta ⁵⁾). Imo vero tam propenso studio Sacratissimus idem Princeps noster animatus fuit in Iurisprudentiam regularem, adeoque cordi habuit regulas Iuris, vt earum adhuc spicilegium aliquod et racemationem, post ingentem Pandectarum messem et vindemiam, fecerit illo titulo, quo velut vnum in manipulum lancemque saturam *regulas diuersas Iuris antiqui* congerendas, nobisque exhibendas curauit, veterum exemplo Iuris Au- ctorum ⁶⁾).

Reliquerat Mucius, quod antea praedicauit, primum regula- rum corpus: ad hoc ipsum vero Pomponius annotauit, et regu- larum ipse composuit librum singularem. Secuti hanc diligen- tiam, integra regularum volumina ediderunt, Neratius Priscus libros quindecim, Ceruidius Scaeuola quatuor, Caius vnum, Mar- cianus quinque, Modestinus decem, Licinius Rufinus duodecim, Ulpianus, et plane similiter Paulus, septem, atque singularem vnum: nemo denique Auctorum Iuris, quorum libris vitmur, cum insigni laude in fundo Iuris Ciuillis colendo versatus est, qui non vel regulas ab anterioribus traditas firmauerit, vel ex- emplis illustrauerit, vel vitia subnotauerit, vel nouas aliquando concinnauerit propositiones vniuersales et arti Iuris egregie in- feruien-

2) EM. MERILLIUS, *Obserrat. Libr. I. cap. 3. et Libr. V. cap. 34.*

a) L. 20. et 21. C. de furt. L. ult. C. de hered. inst. L. ult. C. de acquir. vel rer. poss.

b) L. ult. C. per quas pers. nob. acqu.

L. 25. §. 6. D. de usufr. L. 7. §. 1. D. de stipul. seru.

c) L. 4. C. de verb. signif.

d) *Const. Tanta. §. 8. de Confirm. Digest. L. 2. §. 8. C. de vet. Iur. enucl.*

feruientes. Quo studio, fallor? an emineat inter reliquos, fui certe faeculi, Caius meus, cuius regularum librum singularem modo laudaui, insignis Iuris praeceptor, et qui praecipue in aureis Institutionum Rerumque Quotidianarum libris, tam eleganti, tam concinna methodo, quam nemo alius, fundamenta Iuris Ciuilis adeo luculenter complexus est, vt nulla non aetate in deliciis plane fuerit habitus, vtque libri eius studiosis Iuris voce magistra in scholis praesertim explicarentur^{e)}, nec alium inter veteres reperiret Sacratissimus Imperator, quem magis suum faceret, atque ex quo suos Institutionum libros, elementa totius legitimae scientiae, potius hauriret? Neque vero mihi silendus est, excelsi vir ingenii, Iurisconsultorum Coryphaeus, Papinianus, maximus regularum architectus: cuius summam sapientiam et peritiam tot, tamque absolutas, tam aequas nobis regulas tulisse, quam vix vllius antiqui Iurisconsulti, venerandus parens Artis nostrae, CVIACIVS^{f)}, profitetur; et cuius quaestiones ac responsa non solum tot praeclaris generalibus enuntiatis sunt referatissima; sed cuius etiam propria eiusmodi regularum promtuaria, libros intelligo Definitionum, adhuc in fragmentis colimus et admiramur.

Atque haec me iam omnia ducunt ad laudem Iurisprudentiae, regulis insistentis, ipsarumque Iuris regularum celebrandam, regularum, inquam, quae veterem Iurisprudentiam fundarunt, quibus et hodierna superstructa est, et sustinetur; quae summam Artis boni et aequi in se complectuntur; ex quibus sic consequuntur cetera, vt non iudicium illae solum acuant, ac memoriam subleuent, verum et plenissima Iuris cognitione animum imbuant, plurimumque conferant ad promptam Iuris in speciebus et factis obuientibus applicationem illationemque. Hae Lydium nobis porrigunt lapidem, et ad rem quamque Iurisque quaestionem resoluendam, decidendam iusta subsidia praestant:

C 2

hae

e) *Const. Omnem. §. 1. de Concept. Digest.*

f) *Ad l. 38. D. de pact.*

hae normas praebent, secundum quas de vero, aequo et iusto fentiendum et iudicandum est; e quibus omne rectum in Arte nostra pendet.

*In fabrica si falsa est regula prima,
Omnia mendose fieri atque obstipa, necesse est ^g).*

Quo tandem eloquentiore, aut digniore praeconio exornem regulas Iuris, quam ista, qua felicissimus earum vindex et interpres, immortalis gloriae Iurisconsultus, neque sui tantum saeculi ornamentum, IAC. GOTHOFREDVS ^h), usus est, ipsarum elegantissima per similitudines plures, ac veluti per imagines, collaudatione? *Sunt haec scilicet, ait, vere iuris fundamenta, quibus vniuersum Iuris fastigium innititur: sunt fontes, e quibus veluti per canales et riuulos Ius educitur; sunt semina, quae, procedente proficienteque iudicio vsuque, in ramos sese postea quam latissime diffundunt et explicant: sunt scintillae, quibus mens vbique collustratur: sunt penora conditaeque et thesauri, e quibus propositarum quaestionum decisiones desumi debent: sunt clauae, quibus adyta Iuris reserantur: sunt denique cynosurae, in vastissimo Iuris oceano nauigantibus propositae. Quae cum ita liquido sint, pergite Vir summus, cuius, quae, hae regulae viles ac prope contemnendae videri possint? Leuesne etiam putabimus, quae tot vigiliis, tam assidua fori tritura, tam operose in arctum tandem artemque coniectae iam olim a summis Iurisconsultis fuerunt? Leuesne, quae affabre factae concinnataeque auctoribus suis egregiam famam peperere? quod vel in regula Catoniana cernere est? Vilesne, in quibus colligendis vel explicandis tam sedulam certatim operam maximi quondam nominis Iurisconsulti impendere? Papinianus ipse, summi ingenii Vir; qui ea re totius Iuris instar quoddam exhibere se crediderunt. Leuesne putabimus, in quibus explicandis applicandisque tam graues olim inter veteres Iurisconsultos et interpretes controuersiae enatae sunt: quas tandem etiam decisionibus Imperialibus componi oportuit? Leuesne, e quibus*

^g) LVCRET. Lib. IV. v. 518.

^h) In Praefat. Commentarii praestantissimi in tit. D. de reg. Iur.

suas in gravissimis quaestionibus constitutiones Imperatores eduxerunt, denique in his probe explicandis operam impendere non piguit? Leuesne, quae nullam non ferme Iuris quaestionem, vel pro ratione dubitandi, vel pro ratione decidendi, subintrant? Leuesne tandem, quae summi hodie nominis Iurisconsultos adhuc exercitos habent, super genuina earum lectione menteque?

Quapropter tanta regularum Iuris dignitate, quam et illi ipsi, qui literarum atque interioris Iurisprudentiae studia defugiunt, tamen agnouerunt iam pridem, *bonum Regulistam, bonum Iuristam*, ore barbaro dictitantes; tanta regularum commendatione, cui et ipsi pragmatici assurgunt, *eum fundatam habere intentionem*, pronuntiantes, *qui se fundat in regula; et standum esse regula, donec diuersum probetur*; item iudicis *esse, in pronuntian-do sequi regulam, exceptione non probata*: et quae sunt similes his, quas in medium attuli, sententiae: tanta tamque multiplici regularum Iuris praestantia excitati nos, FLORENTISSIMI COMMILITONES, erigamus animos ad earum studium, idque demus operam, ut verum ipsarum intellectum vsurumque, re-ctis et legitimis subsidiis instructi, nobis comparemus, atque contendamus ad Iurisprudentiam regularem, cuius ope veram artem et scientiam boni et aequi, et solidam assequi datur Iurisprudentiam. Non repetemus regularum interpretationem a per-beata Accursii familia, non a Bulgari ore aureo, non a Martini copia legali, non a Placentini supercilio, non a Baldi acumine, non a Decii subtilitate, non denique ab illis regularum, excep-tionum, fallentiarum, limitationum, ampliacionum centonibus, qui retundunt ingenia potius atque onerant, quam subleuant at-que exacuunt. Melior iam nobis viuatur aetas, qua in dies lae-tius efflorescunt bonae literae Artis nostrae, ac fere ad aureum fastigium educta est illa sanctior Iurisprudentia. Intelligamus haec bona nostra, nosque ad eius studia toti componamus, ne, quod acerbum e nomine Ioannis Roberti, obtrectatoris sui, quondam eliciebat IAC. C V I A C I V S ¹⁾): *Sero, eum dicens, in*

C 3

orbe

i) *Obferuat. Lib. XV. cap. 23.*

orbe natum; id in nos forte dicerium cadat, ut sero videamur in orbe nati, superiorum retro saeculorum nebulis et squaloribus, quam huius aevi luce atque elegancia digniores. Quapropter utendum nobis est rectis et liberalibus meliorum literarum, quae ab humanitate dicuntur, Philosophiae, ac praesertim doctrinae moralis et ciuilibus, historiarum et antiquitatum, cum Romanarum, tum patriarum subsidiis instrumentisque: quorum de arctissima et necessaria cum Iurisprudentiae studiis coniunctione Vos iam persuasi estis certius, quam ut eius rei molienda mihi sit quaedam demonstratio.

Quin tandem id ago, ut iussu atque auctoritate SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE, FRIDERICI AVGVSTI, PRINCIPIS AC DOMINI MEI LONGE CLEMENTISSIMI, Vobis me in regia ad Iurisprudentiam via duccem comitemque offeram et adiungam, enixe Vos rogans atque obtestans, ut de me ita prorsus existimetis, Vobis, Vestris studiis, Vestris desideriis, Vestris commodis, nihil mihi prius, nihil iucundius futurum. Hoc erit mihi negotium, hoc otium, hic labor, haec quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponetur. Adeste modo alacres, O MEI, meque frequentia et assiduitate Vestra in dies magis accendite, excitate; meum Vobis inseruendi studium iuuate, augete, promouete, cum maxime in publicis, quas propediem, DEO iuuante, auspicator lectionibus: in quibus id dabo operam, ut cum verborum ac nominum Artis nostrae, in Iure tam Romano, quam Germanico obuenientium, origines, significationes, vim, potestatem vsunque, tum vero regulas Iuris, non quidem illas solum, quae titulo Pandectarum extremo continentur, sed quascunque per libros Iuris dispersas, neque tantum regulas Iuris recepti, verum etiam patrii, apta methodo explicem, earumque in foro applicationem Vobis commonstrem. Hanc enim mihi industriam imperat muneris, mihi clementissime demandati, ratio. Quod Regium atque insigne beneficium uti deuotissimis veneror praedicoque gratiis,

gratiis, atque sempiternum concelebrabo: ita DEVM T. O. M. humillima mentis religione supplex precor, vt tam propitium tamque munificum Musarum in Saxonia Statorem ac Nutritorem, AVGVSTVM, PATRIAE PATREM, Saluum, Felicem, Victorem, Longaeuum Saxoniae praestet; vtque PRINCIPEM REGIVM, vna cum SERENISSIMA CELSISSIMAQVE EIVS et CONIVGE, et SOBOLE, Saluos, Felices, nobis, et nepotibus, et pronepotibus nostris feruet; Saxonicos feruetque Lares patriosque Penates.

Quod reliquum est ad Vos me conuerto, OMNIVM FACVLTATVM ET CVIVSCVNQVE DOCTRINAE PROFESSORES LONGE CELEBERRIMI, Patroni atque Fautores Honoratissimi, plurimumque exulto ac fortunae meae gaudeo, quod Incluto atque Amplissimo Ordini Vestro adscribi mihi contigerit. TEQUE in primis, ILLUSTRIS DE WERNHER, quem propter singularia in rem publicam, in Iurisprudentiam, in bonas literas merita, et propter humanitatem summam, iam pridem suspexi coluique; TE igitur, Iurisconsultorum et Antecessorum in hac Academia Praefide Amplissimo, vehementer laetor, Tuumque patrocinium, quod propius iam colere in posterum ac demereri licet, impense mihi gratulor. Vos autem omnes ac singulos, P. C. qua par est obseruantia et humanitate rogo, vt me procliui ac lubenti animo accipiat, vtque faueatis meo proposito meisque studiis, ac Vestro fauore, Vestra beneuolentia me perpetuo complecti velitis: quam felicitatem i a Vobis impetrauero, nil erit, quod a Vobis amplius optem. Ego reuerentiae atque honori Vestro sic semper inseruiam, vt erga Vos omnes et cultus, et amicitiae, et officii mihi constet ratio. FAXIT DEVS IMMORTALIS, vt saluos Vos fortunatosque, vtque florentem semper videam Almam hanc Vniuersitatem, et, quod initio orationis meae precabar, vt nouum hoc, quod exorsus sum, munus et Acaedemiae, et mihi bene, feliciter prospereque eueniat.

D I X I

... quod ...

... quod ...

D I A

Row



ULB Halle
003 612 635



3

Sb.






Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



CAROLI CONRADI,
PHIL. ET I. V. D.
R A T I O
DE
SENTENTIA REGVLARI
ANORVM,
ET DE
CONSULTORVM STVDIIS
REGVLAS IVRIS,
TA SOLENNITER
MIA VITEMBERGENSI
AVG. A. CIOCCCXXVIII.
Q V V M
ONEM PVBLICAM
NIFICATIONE ET REGVLIS IVRIS
SPICARETVR.

5/20

1728 46



CIO SECVNDA.

I P S I A E

CINA LANGENHEMIA.

MDCCLXII.

